

DE POENITENTIA ADAMI.

oppido eruditam Clarissimi D. Samuelis Andrea Prof. Marpurgensis de ADAMI SALUTE dissertationem, Plura jam non addimus certa spe freti meditationes has, quæ subito calore & quadam festinandi voluptate nobis fluxerunt, cum verbo DEI congruæ sint, professione pietatis in parentem primum, aut laudatas aut excusatas esse, neque in eo habendas censu, in quem optumo jure Gelasius Papa de Pœnitentia Adæ dist. XV. hæreticorum rejecit libellum. Coronidis loco, quæ de laboribus Adami pœnitentis sacris statuerint Talmudistæ Tr. Avot, c. 1. accipe Meditationes primi hominis ( & ad ejus exemplum aliorum ) per totam septimanam describuntur. Die primo quid dicit? ipse dicit Ps. XXIV, 1. Domini est terra: Quia ipse possedit eam, & possidebit eam, & ipse judicabit mundum. Die secundo quid dicit? 1. Chron. XVI, 25. Magnus est Dominus Ipse distribuit omnia opera sua & facta sunt omnia in universum super mundo ipsius. Tertio die quid dicit? Psa. m. LXXXII, 1. Deus stat in congregatione & c. Creavit mare & siccum, & in globum unum coierunt ambo loco sibi destinato, & facta est (term) locus idoneus Ecclesie ipsius. Quarto die quid dicit? Psalm. XCIV. Deus ultionum & c. creavit solam & lunam & stellas & planetas, quæ illuminant mundum. Quinto die quod dicit? Psalm. LXXXI, 1. Cantate Deo robori nostro & c. Et creavit aves & pisces, & balanas, quæ vocem letitiæ edunt in mundo. Sexto, quid dicit? Psalm. XCIII, 1. Dominus regnat excelsæ & c. Perfecit omnia opera sua & exaltatus est, & sedit in excelsis mundi. Septimo quid dicit? Psalm. XCII. Psalmus Cantici in diem Sabbathi: Dies qui totus est שבת schabbath requies. Nam in eo nec editur, nec bibitur neque fit commercium; sed justi sedent, & coronæ ipsorum sunt in capite ipsorum, & pascentur a splendore divine presentie: quia dicitur Exod. XXIV, 11. Et viderunt Deum, & edserunt, & biberunt, sicut Angeli ministerii. Et hæc omnia quorsum! Scilicet ideo, ut statim inire posset homo cœnam Sabbathi.

S. D. G.

Coll. Oliss. A. 74, misc. 17. b